

§. 432.

Judex, si in cognitione causæ vel in appellatione aut revisione interposita manifestam injustitiam, vel insignem petulantiam unius vel alterius Partis animadverterit, Partem, quæ se hujusmodi culpæ réam fecerit, ejusque patronum congrua poena pecuniaria, vel pro ratione status et conditionis corporali plectito.

CAPUT XXXVIII.

De Advocatis.

§. 433.

Nemo inter Advocatos in futurum recipiendus est, nisi qui in aliqua ex Universitatibus vel Academiis Provinciarum hæreditariarum examen rigorosum subierit, suamque Juris scientiam debitum experimentis probaverit, et præscriptas attestations defuper attulerit.

§. 434.

Inter Advocatos referri petens, postulatum hoc tribunali appellationis in Regno constituto

stituto porrigere, ac simul præter attestatio-
nem Universitatis, vel Academiæ provinciæ
hæreditariæ, a qua examinatus fuerit, etiam
testimonium scriptum Advocati rite assumti
super datis speciminibus Jurisprudentiæ suæ,
nec non diligentia, dexteritatis, et honestatis
exhibere debet; quibus receptis Tribunal Ap-
pellationis postulantis doctrinam tam super
theoria, quam super applicatione hujus con-
stitutionis, nec non super universis legibus
provincialibus severo examine sibi perspectam
reddat, in ipsius mores, ac probitatem dili-
genter inquirat; et siquidem eundem capa-
cem invenerit, ad exercitium Advocaturæ ad-
mittat, quin ad numerum vel ad diversitatem
Tribunalium respiciendum sit.

§. 435.

Advocatus de patrocinio causæ alicujus
suspicio rogatus, præprimis perpendere
debet, an causa sit justa, et æqua, atque
idcirco defendi mereatur: hunc in finem, an-
tequam defensionem suscipiat, probe eidem

dispiciendum est, et quidem si cliens, qua actor in judicium venturus sit. *a)* quid is tam in causa principali, quam in accessoriis petat; *b)* qua ratione actionem, et singulas ejusdem circumstantias probare valeat; *c)* an super hac vel illa circumstantia documenta scripta ad sint; *d)* ubi eadem existant; *e)* quis in hac vel illa circumstantia præsens fuerit; *f)* quas circumstantias jurare paratus; *g)* et super quibus pro re nata juramentum parti adversæ deferendum sit.

§. 436.

Eodem modo Advocatus, si patrocinium ab ipso requirens in judicium reus conventus ire debeat, imprimis actionem probe examinet, exceptiones contra eam militantes, quantum ex facto oriuntur, accurate perpendat, et adminicula, per quæ circumstantiæ exceptionum probari possint, exquirat.

§. 437.

Utroque casu Advocatus adæquatam consignationem actorum, et documentorum sibi

per

per Partem, cuius causam agendam assumserit, traditorum conficiat, hancque per se subscriptam eidem parti extradet.

§. 438.

Advocatus pro circumstantiarum ratione ulterius, ac præcipue sibi exploratum reddat: *a)* an non forte plures actionis participes, seu consortes subversentur; *b)* an aliqui ex iisdem Curatelæ subsint; *c)* qua ratione sibi necessaria documenta et adminicula ante litem procuranda sint; *d)* cui jurisdictioni reus subjaceat; *e)* an actio contra plures instituenda; *f)* an aliqui ex iis sub Curatela positi; *g)* an non lis aliqui denuncianda, vel evictor aliquis evocandus; *h)* an ante decisionem litis ad remedia provisionalia recurrendum sit?

§. 439.

Advocatus patrocinium suscipere volens, statim curet, ut scripto Mandatariatu, qui a singulis Clientibus propria manu firmandus, vel juxta constitutiones regni in Comitatibus, aut locis credibilibus expediendus, et primæ

scripturæ adnectendus est, instruatur, vel de-
mum loco hujus Procurator coram ipso judice
more hactenus consueto oraliter constituatur,
constitutioque hæc Protocollo inseratur, litteras
mandati vero Advocatus, vel oralem consti-
tutionem Procuratoris judex non aliter accep-
ter, quam si substitutus nominatus, vel alium
substituendi facultas collata fuerit; si tamen
hoc omitteretur, nulla scriptura præterquam
in casibus gravioris momenti, et ubi pericu-
lum in mora esset, recipienda, ac etiam dum
ab Advocato saltem usque ad terminum se-
cundæ scripturæ litteræ mandati juxta modum
superius præscriptum porrigendæ, vel alia or-
alis constitutio Advocati procuranda est.

§. 440.

In causis agendis, Advocatus præsentem
constitutionem ad amissim observato, et scri-
pturas mundis ac legibilibus litteris, ac sine ni-
mia distensione exaratas porrigito.

§. 441.

§. 441.

Innotulationibus Actorum Advocati ipsi-
met intersint, neque id alterius fidei unquam
committant.

§. 442.

Advocatus susceptum in se patrocinium
ante finem litis sine gravi causa ne deserat; et
siquidem ob justas rationes id facere idebeat,
clienti operam suam prius judicialiter renun-
ciet; a die tamen traditæ renunciationis par-
tem tamdiu in Judicio defendere adhuc tenea-
tur, quamdiu terminus pro præsentatione re-
sponsionis eidem præfinitus pendebit; nisi pars
alium patronum prius constituerit.

§. 443.

Si ipsa pars substitutum non designaverit,
Advocatus constitutus aliquem adversæ parti
indicato, hic vero primo Advocate vel mor-
tuo, vel patrocinium abdicante, vel impedi-
to litem continuo prosequatur, donec pars alium
Advocatum constituerit.

§. 444.

Nulli Advocato liceat utriusque parti eodem tempore, ac in eadem causa inservire, vel patrocinium uni parti in causa præstare, in qua prius parti adversæ operam suam locaverit.

§. 445.

In rebus jam conclusis, et decisis Advocatus ab omnibus saltibus, novisque Tricis penitus abstineto.

§. 446.

Nemini ex Advocatis liceat peculiare ac determinatum præmium, seu palmarium, ut vocant, pro casu victoriæ in antecessum pacifici: Ejusmodi pactum non solum invalidum esto, sed Advocatus, qui illud iniverit, insuper speciali poena coercendus est.

§. 447.

Quilibet Advocatus, quum ultima scriptura porrigenda, uti etiam si scriptura appellationis vel revisionis producenda est, ea, quæ sibi

sibi ob præstatam operam legitime competant, scripto consignare, et hanc notam Actis adjungere, eodemque modo peracto processu verbali, super quo sententia ferenda sit, honorarium sibi competens postulare, et scripto, vel voce ad Protocollum indicare debet.

§. 448.

Judex, quoties partem succumbentem in expensas condemnare debet, honorarium ab Advocato partis adversæ petitum a succumbente præstandum in ipsa sententia moderetur: Illud vero, quod pars proprio Advocato solvere debet, a Judice tum duntaxat moderandum est, si pars moderationem petierit.

§. 449.

Labor Advocati neque pro numero foliorum, quibus scripturæ ab ipso conceptæ content, neque pro numero dierum, quibus in judicio comparendum fuit, sed pro genuino suo merito æstimandus est, quidquid idcirco inter ipsum et partem convenerit.

§. 450.

In hac æstimatione Judici ad sequentia momenta respiciendum est; *a)* An Advocatus in comparandis adminiculis atque in præparandis, et probe instruendis scripturis multum operæ impenderit; *b)* An ex elaboratione scripturæ singularis diligentia et non vulgaris dexteritas eluceat; *c)* An item cum possibili exactitudine et celeritate ad finem perduixerit; *d)* An in ea peragenda hanc constitutionem in omnibus observaverit; *e)* An facultates clientis majorem moderationem non exigant.

§. 451.

Si Advocatus patrocinium causæ, in qua manifesta injustitia defendi debeat, vel ex infirmitate, vel ex lucri cupiditate susceperebat, Jūdex, a quo causa decisa fuerit, ejusmodi Advocatum Tribunali Appellationis denunciato: hoc vero pro delicti qualitate, vel congruæ mulctæ dictione in ipsum animadvertisco, vel eundem ab Advocatura, ad tempus, aut in perpetuum excludito.

§. 452.

§. 452.

Quoties tribunali politico vitium Advocati innotescat, quod contra ipsius mores ac honestatem suspicionem præberet, vel si idem Tribunal compererit, Advocatum multum æris alieni contrahere, id Tribunali Appellationis statim indicato: hoc vero Reum ad tempus, vel si post iteratam animadversionem nulla emendatio appareat, in perpetuum exercitio Advocaturæ interdicio.

CAPUT XXXIX.*De Jūdice.*

§. 453.

Qui munus Judicis penes Tribunal, vel Curiani sibi conferri postulabunt, consuetis Attestationibus docento, adquisitam a se sufficiētem juris scientiam in Universitate, vel Academia alicujus provinciæ hæreditariæ rite probatam fuisse, iis tamen exceptis, qui publica,